

Universitätsbibliothek Wuppertal

**DIONYSII || LAMBINI MON-||STROLIENSIS RE-||GII
PROFESSORIS,|| IN || Q. HORATIVM FLACCVM EX FIDE
ATQVE || AVCTORITATE COMPLVRIVM LIBRORVM
MANV-||scriptorum à se emendatum, et aliquoties
recogni-||tum, ...**

Horatius Flaccus, Quintus

Frankfurt/Main, 1577

Ode 20: Ad Pyrrhum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1066)

A ros: quemadmodum Od. 8. eiusdem lib. *Et vigileis lucernas Perfer in lucem.*

QVI MVSAS AMAT IMPAREIS, &c.] poëta (inquit) Musis deditus, Musarumque amore percussus, nouies bibet, si volet insanire: sed Gratia vetant eum, qui à rixis & conuicijs abhorreat, plus quam treis vini cyathos haurire.

TREIS PROHIBET SUPRA] extat apud Græcos prouerbium tale, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τετρα, ἢ μὴ τέτταρα. quod putabant quidam ad hunc locum pertinere, vt præscribat, quoties sit bibendum. sed Eustath. commentar. in lib. ὁδύσσ. ἰώτα sic hoc prouerbium explicat, vt non ad numerum cyathorum vini, quos quis ebibit: sed ad vini & aquæ temperationem referat. Ait enim tria, significare vnus vini cyathi, cum duobus aquæ, confusionem: quinque, duorum vini, cum tribus aquæ: quattuor, totidem vini, quot aquæ: quod appellatur ἰσον ἰσῶν: superiores illas temperationes, esse hominum sanorum, & tamen hilarorum: hanc insanorum. esse & quartam bibendirationem, si quis merum bibat, hancque παραλύσειν afferre. Athenæus autem lib. 10. videtur paullo aliter explicare. eius enim

B sunt hæc verba: ἢ δ' ἐν κράσις αὐτῆ ἀδελφὸς ὄσα ὑπέμισσε παλαιὰ καὶ πάλω θρηνηθέντων παροιμιῶν, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τετρα, ἢ μὴ τέτταρα. ἢ γὰρ δύο παρὸς πέντε πίνειν φησὶ δέειν, ἢ ἐνά παρὸς πέντε. i. hæc igitur temperatio cum præter morem fieret, admonuit fortasse vos omnium sermone celebrati prouerbij, aut quinque bibere, aut tria, aut non quattuor. Nam aut duos aquæ cyathos ad quinque vini bibere dicit oportere: aut vnum ad treis. Et profert eo loco Anacreontis versus aliquot corruptos: ex quibus intelligere licet, Anacreontem duos aquæ cyathos quinque cyathis vini admisceri velle. vtitur hoc prouerbio & Plautus in Stich. *vide quot cyathos hos bibimus?*

ST. tot, quot digiti sunt tibi in manu. cantio est Græca ἢ πέντε πίνειν, ἢ τετρα, ἢ μὴ τέτταρα. Nihil igitur hoc prouerbium ad hunc locum (opinor) pertinet. Sed id certe pertinet, quod apud eundem Athen. lib. 2. Panyasis primum potum Gratij, Horis, & Baccho tribuit: secundum Veneri, & iterum Baccho: tertium contumeliæ & damno, seu noxæ, quam ἀπὸν vocat. Eubulus autem apud eundem, Bacchum ita facit loquentem: πρὸς γὰρ μόνους κρητῆρας ἐγχεραυνῶσα, ποῖς εὐφρονῶσι: πῶν μὲν ὑγείας ἐνά, ὅν παρῶτων ἐκπίνουσι: πῶν δὲ δεύτερον Ἐρωτος, ἢ δονίης τε: ἢ τετρα δ' ὑπνε. & vsque ad decimum progreditur, quem insanix esse dicit. Nam treis cyathos tantum sanis se miscere dicit: vnum bonæ valetudinis: alterum amoris & voluptatis: tertium somni: quartum petulantix & contumeliæ: quintum clamoris, &c.

RIXARVM METVENS] sic locutus est Od. 24. lib. 3. *Et metuens alterius viri certo fœdere castitas.*

GRATIA NVDIS IVNCTA SOR.] sic infra Od. 7. lib. 4. *Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet Ducere nuda choros.* Præter ea quæ diximus supra de Gratij Od. 30. lib. 1. ibi, *Et solutis Gratia zonis*, licet dicere, nudas idcirco fingi Gratias, quia sine fuco esse debent, vt notat Seruius ad illum locum Virg. lib. 1. *Æn. at memor ille Matris Acidaliæ.*

INSANIRE IVVAT.] sic Anacreon ait se in-

fanire velle bibentem. Ἀφες με τρεῖς διὰ σσοῦς Πιεῖν, πτεῖν ἀμωτὶ Θέλω, θέλω μανῶσαι, Ἐμάνειν Ἀλκμαίων τε, Χ' ὁ λυκόπους Ὀρέσας, Τὰς μίπτερας κταιόντες. Εξῶ δὲ μινδέναι κτὰς, Πιῶν δ' ἐρυθρὸν οἶνον, Θέλω, θέλω μανῶσαι, id est, *Potare me thiaffos, Sinito: hauriam Lyæi Dona haustibus profundis. Furere hunc volo furorem. Furebat olim Orestes, Alcmaonem furebat, Vterque matre caesa. Ego nemine interemto, Sed ebrius Lyæo, Furere hunc volo furore.* Suprà Od. 7. lib. 2. *no ego sanius Bacchabor Edonis: recepto Dulce mihi furere est amico.*

BERECYNTHIÆ] Phrygiæ, nam in Phrygia & Lydia tybiarum vsus primum inuentus est. Itaque etiam adhibebantur in sacris Cybeles matris Deorum. infra Od. 15. lib. 4. Lydas appellat. *Lydis reris isto carmine tibis.*

CVR PENDET TACITA] sic Sappho citharam suam appellans, hortatur, vt vocalis fiat. ἀγαμοῖ, δια γέλυ, φωνάσσοα γένοιο. id est age, mihi, dia lyra, vocalis fias.

PARCENTEIS EGO DEXT.] ignauas & otiosas: vel parçè ministranteis.

NON HABILIS] nõ conueniens: quia puella.

NITIDVM] nitida & benè curata cute, vt epist. ad Albium Tibul. lib. 1. *Me pinguem Et nitidum, &c.* vel nitidum intellige, vnguento nitentem, vt supra Od. 4. lib. 1. *Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto.* & ita Græci λιπαρὸν sæpe accipiunt. ego tamen malim hoc loco nitidum accipi pro eo, qui sit benè curato, & benè habito corpore, qualis est ille Delphis apud Theoc. *eid. β.* quem λιπαρόχουω Simætha nominat, id est, εὐτραφῆ, benè curatum, nitida cute. sic Virg. 6. *Æn. equos nitenteis appellat.* & Terent. in Eunu. *Qui color, nitor, vestitus? quæ habitudo est corporis?*

TEMPESTIVA] matura, viri potens.

CHLOË] quidam libri vet. habent Rhoda.

LENTVS] languidus: qui me languore afficit. sic sup. Ode 13. lib. 1. *Quam lentis penitus macerer ignibus.*

TORRET] sic Catull. ad Manl. de Venere: *Scitis, Et in quo me torruerit genere.* & supra Od. 9. eiusdem. *Me torret face mutua, &c.* & infra Od. 1. lib. 4: *Si torrere iecur quaris idoneum.*

AD PYRRHV M.

Ode 20.

Ne formosum puerum à puella abstrahere conetur.

NON vides, quanto moueas periclo
Pyrrhe, Getule catulos lænæ?

Dura post paullo fugies inaudax

Prelia raptor:

Cum per obstanteis iuuenum cateruas

Ibit, insignem repetens Nearchum:

Grande certamen, tibi præda cedat

Maior, an illi.

v ij Interim

A *Interim dum tu celereis sagittas
Promis, hæc denteis acuit timendos:
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.*

NON VIDES] ἀμνηστία est. Nō vides (inquit) quanto periculo amanti puellæ formosum adolescentem adimas? Profectò tu, qui puerum ei eripuisti, cum illa Nearchum suum abs te repetet, bellumque tibi ob eam causam inferet, non audebis cum ea prælium inire: sed te statim in fugam conijcies, victumque fatebere. amantem mulierem, cum læna: adolescentem amatum, cum catulis comparat. Est autem hæc Oda ἀποπροπηκὴ, hoc est ad dissuadendum, & deterrendum comparata.

B GETULÆ CATVLOS LEÆNÆ] supra Od. 23. lib. 1. tigris ut aspera, Getulæ sue leo. Virgil. lib. 5. Æneid. tergum Getuli immane leonis.

MOVEAS] loco moueas, auferas, rapias. mox enim raptorem appellat.

POST PAULLO] quidam libri veteres habent, post paululum. sic Sat. 2. lib. 1. vbi libri vulg. habent, Illam post paullo: sed plaris, si exierit vir, &c. omnes fere libri manuscr. habent, post paululum.

INAUDAX] non audax, ignauus, timidus. Vox à nemine alio, quod sciam, vsurpata.

RAPTOR] Tu Pyrrhe, qui catulos suos lænæ rapias, seu rapueris.

CVM PER OBSTANTEIS IUVEN. CAT.] ὅτι δὲ ὄμιλον, seu κατ' ὄμιλον.

GRANDE CERTAMEN] magnum certamen erit inter vos, vter vestrum superior sit futurus, id est, vter Nearchus sit potiturus.

INTERIM DVM TV] Interea dum tu sagittas expedis, quas in eam mittas: illa tanquam læna, denteis acuit, quibus te discerpat, ac laceret. HÆC

C DENT. ACUIT TIM.] videtur manere in translatione, seu potius similitudine. hanc enim faminā cum læna comparauit, cui eripiuntur sui catuli. sed tamen acuire denteis magis videtur apris conuenire, qui sunt è genere χαυλιόδοντων, id est, eorum animalium, quibus dentes sunt exserti, quàm leonibus, qui sunt de genere κερχαιοδόντων, id est, serratos denteis habentium. Adiuuat me Homerus, qui il. λ. perspicuè ostendit, apros denteis acuire solere, eo loco, vbi Vlysses à Troianis circumuentum, cum apro comparat, quem canes, & venatores insequuntur. sic Hom. Ως δ' ὅτε κάρπιον ἀμφὶ κιάεις, θαλεροὶ τ' αἰθροὶ Σείονται, ὅδ' ἔ' εἰσι βαθέης ὄκ' ἔυλοχοιο Θήζην λευκὸν ὀδόντα μετὰ γαμπίησι γένυσιν, &c. i. Quemadmodum cum circum aprum canes & iuuenes vegeti, & viuidi concitantur: ille autem prodit ex siluestri & dumoso loco, album dentem acuis inter flexibileis malas, &c. Sic & Cornificius lib. 4. rhetoric. ad Herenn. Quod sistum, indices,

vestris sententijs liberaueritis. statim sicut è cauea leo D emissus, aut alia aliqua tæterrima bellua soluta ex caenis, volitabit & vagabitur in foro, acuens denteis in cuiusque fortunas, in omnibus amicis & inimicos, &c.

ARBITER PUGNÆ, &c.] ille autem Nearchus tanquam pugne arbiter, & iudex, victoriam pedibus supposuisse dicitur, vel pugnae euentum expectans, vel declarans in sua potestate esse situm, vtri potius victoriam gratificetur, atque adiudicet. Ponere autem sub pede, seu sub pedibus dicuntur, qui domuerunt, qui sunt superiores, qui habent in potestate: quale est illud Lucretij lib. 1. Quare religio pedibus subiecta vicissim Obteritur: nos exequat victoria calo. Titus Liuius lib. 34. annalium. Argos & Lacedæmonem duas clarissimas vrbes, lumina quondam Græciae, sub pedibus tuis relinquemus? Virg. Æn. lib. 7. quorumque à stirpe nepotes Omnia sub pedibus, quæ sol vtrumque recurrens Aspicit Oceanum, vertique, regique videbunt.

ODORATIS] vel rosa, vel alio suavis odoris flore, vt Od. xi. lib. 2. & rosa Canos odorati capillos, Dum licet. Odoratus autem participium est sine origine verbi: de quo genere supra ad Od. xi. lib. 2.

QUALIS AVT NIREVS] omnium Græcorum Achille excepto, pulcherrimus, vt ait Hom. il. β. Νιρέυς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἰλίου ἦλθε, τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα, id est, Nireus, qui vir pulcherrimus ad bellum Troianum venit aliorum Troianorum, post strenuum Achillem. Od. 15. epod. Formæque vincas. Nireæ.

AVT AQVOSA RAPTVS] Ganymedes. Virgil. lib. 1. Æneid. rapti Ganymedis honores. aquosam autem Idam vocat Homeri exemplo, qui πηδῆ εσσαῖν nominat, quasi πηδακίεσσαῖν, id est, fontibus abundantem. Hom. il. λ. Ἰδῆς ἐν κορυφῆσι καθέζετο πηδέεσσας: id est, in verticibus seu cacuminibus Idæ aquosa & fontibus circumfluentis sedebat.

AD AMPHORAM.

Ode 21.

Ex qua se in Coruini gratiam vinum vetustum F prompturum ostendit, & occasione oblata vini laudes commemorat.

O Nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, siue geris iocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem: pia testa, somnum:
Quocumque lectum nomine Masticum
Seruas moueri digna bono die,
Descende, Coruino iubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet

Sermo-